QVID

DE MORTE PHILOSOPHICA

STATVENDVM SIT

OSTENSVRVS

AD

SOLEMNIA

GYMNASII ELBINGENSIS

AESTIVA

D. XX. SEPT. MDCCLXVIII

H. L. Q. C.

CELEBRANDA

ILLVSTREM

PERMAGNIFICOS ET AMPLISSIMOS

VRBIS

PROCERES

VT ET

RELIQVOS O. O. LITTERATOS

AC

MVSARVM FAVTORES

DEMISSISSIMA CVM OBSERVANTIA

INVITAT

IOANNES LANGIVS

ATHENAEI RECTOR PROF. THEOL. PVBLICVS ET BIBLIOTH.

ELBINGAE

LITTERIS NOHRMANNIANIS.

Quamvis optimarum artium ſtudia ac ſcientiae liberales, latiſſime patentes, ambitu ſuo multa habeant, cur ab illis, qui aliquid de litteris humanioribus judicare poſſunt, ſedulo expetantur; maxime tamen, quod menti diſcendi cupidae uberrimam meditationis meſſem ſuppeditant, & vitae humanae brevitatem poſteritatis memoria conſolantur. Vel ſola Philoſophia, ut alias eruditionis partes ſilentio tegam, hac in re facem nobis praeferre, & de praeſtantia, qua pollet, nos certiores reddere poteſt. Illa enim, diſcuſſa ignorantiae & errorum caligine, non rerum modo naturalium ac divinarum ſplendidiori fulget facie, ſed ad ignota quoque perſcrutanda ac invenienda viam viresque ſuggerit neceſſarias. Inde venit, ut, ex quo illud libere philoſophandi ſtudium ortum eſt, multi eo ſint perducti, ut res etiam graviſſimas philoſophico nomine dignas judicarint, easque hac quaſi veſte indutas aliis commendarint. Quo ex fonte in eruditorum ſcholis non modo uſitatiſſima illa virtutem inter philoſophicam ac theologicam enata eſt diſtinctio: ſed placuit quoque aliis, ſuas de poenitentia ac converſione philoſophica publici juris facere meditationes. Quin imo ex Philoſophis antiquis nonnulli, ultimae rerum lineae rationem habentes, mortem naturalem a philoſophica diſtinguendam eſſe docuerunt.

Pytha-

Pythagoras ille Samius, sectae Philosophorum italicae facile princeps, primus fuisse dicitur, qui auditoribus suis philosophicae mortis necessitatem indefessus tradidit ac omni inculcavit studio. Dum enim hominis essentiam in sola mente positam, animamque, naturae divinae particulam, in corporis ergastulo inclusam, & vera felicitate destitutam esse statuit: existimavit insimul, eam ex impedimentis vinculisque corporeis exemtam & in libertatem vindicatam, beatitudinis amissae iterum participem fieri posse. Quam meliorem animi conditionem ut homo impetraret, requisivit Pythagoras, ut mens humana, a vitiis corporis liberata, meditando divinaque attributa contemplando ad DEVM proprius accederet; & sicuti benefaciendo Supremum Numen imitaretur: ita in doloribus perferendis & corpore ad durissima quaevis assuefaciendo, quanta quanta est deprehenderetur. Hac enim ratione animum, a corporis commercio solutum & in semet conversum, DEO assimilari credidit, totam Philosophiam, qua menti, rebus terrenis liberandae, regia paratur via, nihil nisi mortis meditationem & ascensionem ad DEVM esse dicens. Eo ergo usque in contemplanda morte philosophica processit Samius noster, ut etiam profiteretur, animam, cognitioni rerum divinarum incumbentem, ecstasibus saepe abripi, & nihil amplius videre, nihil audire, quod extra illam positum esset. Testem provoco Apulejum, qui Pythagorae sectatores, morti philosophicae operam dantes, in urbe quidem degere scribit; eos tamen ignorare, quae in eadem agantur: imo corpus illorum in plateis saltem circumambulare, & forum curiamve petere; mentem autem, in rerum naturalium contemplatione occupatam, ea omnia parum curare. Et hac ecstaseos via hominem ad eum felicitatis gradum pervenire affirmavit Pythagoras, ut, dum meditationes ejus nihil nisi DEVM spirant, illum non morali quadam similitudine,

 sed

ſed naturae paritate in divinam mutari, Deumque effici, palam fateretur. Quam divinitatis reparationem ultimum mortis philoſophicae finem eſſe, ipſe indicavit Philoſophus in aureo ſuo carmine, ſive vero, ſive ſuppoſititio ita canens:

> Sic ubi depoſito vacuus te coeperit aether
> Corpore, ſemper eris Deus & ſine fine beatus.

Quae omnia ſi accuratiori judicii lance penſitamus, a quonam proveniant? & quo animo ſint prolata? facile dijudicatu eſt, quid de morte illa philoſophica chriſtianis ſit ſtatuendum. Pythagoram, ethnicum, forti imaginationis vi ac voluntatis perverſitate impulſum, eo usque proceſſiſſe, ut divinos ſaepe honores ſibi arrogaret, hiſtoriae litterariae docent monumenta. Cogitata enim ſua nimis elato vendita turus animo, verbis ſemper uſus eſt ſplendide ſonantibus, in quibus, ex impuro cordis fonte promanantibus, multum latuit veneni, perverſae imaginationis multum. Animam enim hominis eſſentiae divinae particulam eſſe evicturus, illam ex hac emanaſſe, & in corpore licet incluſam, in ſe tamen converſam, puriſſimam fieri debere ſtatuit. Dum vero exegit, ut anima, e vinculis corporis ſejuncta, conditionem humanae ſortis excederet, & philoſophice moriendo ſimilitudini DEI propius appropinquaret: illum fanaticiſmi, quin imo ſpinociſmi admodum ſe ſuſpectum reddidiſſe, animadvertit omnis. Quae enim ſomnia, quae praecipitantia divinationis ludibria inde promanarunt, quibus imaginationi ſuae fucum addere, & ſe aliosque illudere ſtuduit. Celeberrimus hinc in Academia Salana Theologiae Profeſſor, Walchius, ſententia Pythagorae de morte philoſophica ſub examen vocata, vere ſcripſit: Durch ſolchen philoſophiſchen Tod kan man leicht ſo weit kommen, daß man ſeinem Verſtand abſtirbt, und darüber zum Narren wird. Abeat ergo

ergo mors illa Pythagorae philosophica, rationis humanae corruptrix, fanaticis & enthusiastis summopere arridens!

Interim tentandum est, utrumne, rejecta Pythagoraeorum sententia, alia sanae rationi convenientior, mortis philosophicae denominatio reddi; haecque in christianorum scholis salva permanere possit. Cuivis omnino constare arbitror, mortis vocabulum late sumtum quamvis partium inter se conjunctarum denotare separationem. Sicuti enim spirituum vitalium ac sensuum defectum, calore & sanguinis circulatione cessante, animae & corporis sequitur solutio, quam alii mortem ipsam, alii mortis effectum nominare solent: ita omne corporis membrum, omnesque aliae res, quarum nulla amplius est vita, usus nullus, mortuae dicuntur.

Quodsi porro hominem, corpore ac anima constantem, oculo saltem fugitivo consideramus, ambabus nobis concedendum erit manibus, teterrima naturae ipsius inhaerere peccata, per protoplastorum lapsum aeque contracta, ac novis legum transgressionibus coacervata. Quae peccatorum sordes cum non ipsam naturam constituat humanam, sed adventitia saltem sit qualitas, mortalibus inhaerens: ea non necessitate absoluta in nobis deprehenditur, sed ab illa quoque divelli potest ac debet. Cui ergo salus sua & praesenti melior vitae morumque conditio curae est cordique, is omnem adhibebit operam, ut vitiis, naturae inhaerentibus & actionibus malis quotidie auctis, obicem ponat, qnin imo quantum pro hominum sorte fieri possit, ea penitus supprimat. Ad quem finem obtinendum si quis mediis tantummodo utitur philosophicis, philosophicam saltem promovet perfectionem; & dum pravas cupiditates, quo minus in malos actus erumpant, non nisi

 ratio-

rationis ductu submergit, in eum pervenit statum, quem mortem philosophicam appellare licet.

Cui hominis emendationi licet plura inserviant media, primum tamen est, ut quisque naturam suam probe intelligat, & tritum illud: nosce te ipsum, in usum convertat. Facilior quippe ad recuperandam sanitatem datur via, si evidens morborum, corpus defatigantium, in aegrotis est notitia. Quo negotio rite instituto non potest non, quin & malorum, quae fecimus, & bonorum, quae intermisimus, innumerabilis in oculos incurrat caterva. Ecquis vero mortalium tam perversa esset natura, ut utriusque rei indole probe perspecta justum ac honestum illi, quod huic adversatur, non praeferret. Virtutis enim agnitionem, si illa viva est, ejusdem amor; illius vero amorem odium omnis mali sequatur necesse est. Quam si quis in se non supprimit, sed ulteriori virtutis contemplatione auget, naturam suam in dies meliorem reddit, aut, quod idem est, a naturalibus imperfectionibus se separando philosophice moritur.

Nec est quod putes, hanc rem humanas superare vires. Quippe omnis aetas & doctrinae & vitae integerrimae fama inclutos protulit viros. Soli lychnum accenderemus, si quorum nomina justitiae, temperantiae, castitatis, aliarumque virtutum splendor posteritati commendavit, pluribus adderemus. Illud vero sicco pede praeterire non possumus, leges & praecepta, quae sana ratio & Superiorum voluntas praescribunt, non minorem in cöercendis naturae cupiditatibus & dirigendis hominum actionibus lucem accendere. His enim ignorantiae & errorum tenebrae pelluntur, & prava voluntatis ad mala inclinatio in honestatis & aequitatis ducitur semitam. His malorum stirpem eradicandi & bonorum

semina

femina fpargendi acutiffimum additur calcar. His virtutis non fucatae ftudium, vitae non culpandae amor & verae felicitatis promoventur fructus.

Quamvis vero mediis hifce naturae malignitas, omnium vitiorum fomes & fcaturigo, debilitetur, maloque infracto hominis perfectio augeatur, ita ut mortem, quam vocamus philofophicam, hac ratione obire videamur: multum tamen abeft, quo minus illam chriftianum formare credamus. Mors enim philofophica externam faltem in verbis & factis promovet emendationem, interna ob mediorum infirmitatem non fperanda. Hinc, fi verum dicere fas eft, illa in foro quidem civili viros praeftat bonos; minime vero chriftianos, interna potius mentis conditione, quam externa actionum forma dijudicandos. Paulus hinc, gentium Apoftolus, dum a Coloffenfibus requirit, ut adhuc viventes moriantur, dicens: necate membra veftra terreftria, plane aliam fui occifionem in defideriis ac praeceptis habet, quam philofophicam illam, ad conformationem DEI conciliandam omnino imparem. Illa enim homines faltem hypocrifeos fuco illitos reddit, qui fructus fpecie fane pulcherrimos proferunt, interna vero putredine infectos. Aft chriftianorum eft, ut omnibus cupiditatibus & peccatis defuncti, juftitiae tam fidei quam vitae ftudeant.

Haec nobis praefari placuit, cum temporis conditione & Majorum inftitutis exigentibus, Athenaei patrii leges, mortis philofophicae conciliatrices, e cathedra publice recitandae fint, ut docentes aeque ac difcentes in Gymnafio noftro officii fui admoneantur. Quam primum enim ut infirmitatis humanae innataeque pravitatis, fic juftitiae divinae & immenfae Altiffimi in nos propenfionis viva in pectore locum invenit agnitio: non dubium eft, quin

quin nos, in legibus obſervandis tenaciores, ad DEI mandatum & Nutritorum voluntatem noſtra compoſituri ſimus dicta factaque.

Cui ſolemnitati anniverſariae deſtinatus eſt dies, DEO volente, craſtinus, in quo legibus praelectis juventus ſcholaſtica, poſt ultimum examen in claſſes ſuperiores evecta, in conſpectum Patronorum producetur, curante PRAECLARISSIMO AC DOCTISSIMO DOMINO IOANNE SAMVELE FROM, Gymn. Conr. & Prof. meritiſſimo, Amico ac Collega noſtro aeſtumatiſſimo *de litterarum ſtudiis* declamatura.

Vt igitur patriae hujus civitatis PROCERES, VIRI ILLVSTRIS, PERMAGNIFICI, GENEROSI, AMPLISSIMI AC CONSVLTISSIMI DOMINI, BVRGGRABIVS REGIVS, PRAESES, PRAECONSVLES, CONSVLES, PATRONI & NVTRITORES Seminarii ſubmiſſo obſervantiae ſtudio proſequendi: nec non EXCELLENTISSIMI, PLVRIMVM REVERENDI, PRAENOBILES, NOBILES, SPECTABILES, PRAESTANTISSIMI, HVMANISSIMIQUE FAVTORES & AMICI HONORATISSIMI exoptata praeſentia ac benevolentia ſua hunc actum cohoneſtare dignentur, omni qua decet reverentia, pietate & humanitate etiam atque etiam rogamus. Publ. Elbingae. D. XIX. Sept. MDCCLXVIII.